

werd geschreven, waarop het adagium toepasselijk is : *melius est sic esse quam penitus non esse*.

Mankevosstraat 71
B – 1860 Meise

W.M. GRAUWEN, O. Praem.

Quaedam relate ad Beatificationem Martyrum Gorcomiensium

Historia et circumstantiae martyrii eorum qui, in odium fidei, trucidati sunt a militibus religioni infensis, die 9 iulii 1572, in civitate Neerlandiae Ten Briel fuse et fundatam exposita exponuntur in *Actis Sanctorum, Iulii*, tom. II, Antverpia, 1721, pp. 736-847. Martyres illi vulgo Gorcomiences dicuntur, eo quod plures ex ipsis oriundi erant ex civitate Gorcum. Inter illos novemdecim Martyres, erant duo Praemonstratenses, Hadr. Becanus (Van Beek); et Iacobus Lacops.

Inde ab anno 1619, potissimum ex parte ff. Minorum (ad quem Ordinem plures ex illis Martyribus pertinuerant) conatus adhibiti sunt ad hoc ut illis Martyribus corona beatificationis et canonizationis ex parte Ecclesiae catholicae conferreretur. Iuxta *Acta Sanctorum*, l.c., p. 746, Petrus de Hullegarde, procurator specialis ab Ordine fr. Minorum designatus fuerat ad hoc ut processus beatificationis ab bonum effectum perduceret. Eodem loco, *Acta Sanctorum*, l.c., p. 747, referunt plures Episcopos litteras misisse ad Summum Pontificem ut beatificatio illorum Servorum Dei proclamaretur. Additur, l.c., etiam Capitulum Generale Praemonstratense, anno 1663, tales litteras ad Summum Pontificem misisse.

Beatificatio illa sollemnis de facto proclamata est die 14 novembris 1675, a Summo Pontifice Clemente XI. Postea, die 29 iunii 1867, Summus Pontifex Pius IX eosdem Martyres solemniter canonizavit.

Tempore quo processus beatificationis ex parte ff. Minorum promoveretur, Procurator generalis Ordinis Praemonstratensis erat Petrus Carette, canonicus Praemonstratensis. Huius procuratoris, Carette, nonnullae litterae asservantur in archivo abbatae Parcensis, Li. XXI, cas. XVII, 5. In litteris istis, missis abbati Parcensi, Liberto de Pape, qui tunc erat Vicarius generalis pro Circaria Brabantia, non paucae

indicationes leguntur relate ad processum tunc institutum Romae in ordine ad beatificationem obtinendam Martyrum illorum.

Primo quidem dici debet de hoc negotio actum esse in Capitulis Generalibus ordinis Praemonstratensis. Legimus siquidem in Actibus Capituli anni 1660 : «Rev. Dom. Floreffiensis (Gul. de Jallet) proposuit libellum supplicem de Hullegarde, Minoritae, et procuratoris in causa Canonizationis SS. Gorcomiensium. Capitulum mandavit fieri capitulares litteras ad Sanctam Sedem pro commendatione canonizationis et concessit pro sublevatione expensarum eiusmodi canonizationis, tres consuetas tallias in Ordine consuetas per Vicarios generales in qualibet Circaria colligendas, et suo tempore in manibus Procuratoris generalis in curia Romana consignandas, et ab eo ad praedictum effectum expendendas» (Ms. Laon 538, p. 809).

Iterum in Capitulo Generali anni 1663, hoc modo de eodem negotio agitur : «Lectus fuit libellus supplex R.F. Petri de Hullegarde, Ordinis Fratrum Minorum, conventus Lovaniensis guardiani, procuratoris eiusdem Ordinis in curia Romana pro obtinenda canonizatione Martyrum Gorcomiensium; quo humiliter rogat novum subsidium in expensas ob eam rem faciendas ultra tres tallias quas Capitulum anni 1660 consensit, esse a Vicariis in qualibet Circaria colligendas. Capitulum agnoscens duos e suis canonicis numero SS. Martyrum adscribendos, et inclinans animam pio operi, concessit denuo in sublevamen tam diu expectatae canonizationis tres alias consuetas Ordinis tallias, quas dicti Vicarii generales colligere possint, ita tamen ut trium talliarum solutionem hoc anno procurent, easque ad manus Procuratori generalis Ordinis nostri in curia Romana transmittant, pro re nata suo tempore in eum finem expendendas, tres autem alias ab hoc Capitulo concessas colligere procurent, quando a Procuratore Ordinis submonebuntur esse ad praedictum effectum necessaria» (ms. Nancy 994 [1747], fol. 260 b).

Petrus Carette, eo tempore procurator generalis Ordinis apud Curiam Romanam, de negotio canonizationis dictae obtinendae plures litteras scripsit abbati Parcensi, de Pape. Ex quibus litteris deducendum est procuratorem Carette validam manum praebuisse procuratori ff. Minorum, de Hullegarde, ad hoc ut effectum intentum quoad canonizationem speratam obtinere posset.

In litteris procurator Carette, diei 12 iulii 1664, satis fuse de hoc negotio agitur : «Rdus P. Hullegrade, Ordinis Sti Francisci, ad me venit pro habendis aliquibus pecuniis a Capitulo Generali anno 1663

destinatis pro promovenda nostrorum et ipsorum Martyrum Gorcomiensium beatificatione. Cui candide respondi me hactenus de ea re nullam habuisse notitiam, praeter eam quae a tribus aut quatuor mensibus acceperam a Rdo Abbate Belli Loci¹⁾, in Gallia generalis Ordinis Procuratore, qui vestro nomine mihi super ea re scripserat et significarat Amplitudinem Vestram secundum ordinationem Capituli Generalis habere aliquas pecunias mittendas, pro canonizatione praefatorum Martyrum. Sed interea optare se praevidiam aliquam habere a me de statu negotii informationem; cui proinde Martyrum beatificationi, non esse festinandum pro eorum transmissione, eo quod nullam de dicta beatificatione viderem dispositionem, non posse satis cito mitti. Cum impraesentiarum dicti Patres maximam fecerunt instantiam et a 20 annis, me teste, fecissent magnas expensas. Ad hoc Rmus P. de Hullegarde mihi respondit dicta omnia vera esse, et huc usque in multis perperam eorum Agentes laborasse eo quod multa instrumenta non essent in debita forma. Propterea se a sex et amplius annis in Belgio et in Ollandia laborasse ut omnes informationes et instrumenta ponerentur in debita forma secundum Curiae Romanae stylum; ita ut modo solum ageretur de totius processus iustificatione pro prima Congregatione; qua obtenta, in duabus aliis Congregationibus facile Martyrum beatificatio obtineretur, et ne dubitarem, me duxit ad Officiales et Examinatores istius Causae, a quibus ita esse didici et Causam esse in optimo statu, solumque agi de pecuniis habendis pro dictorum Martyrum beatificationis promotione; qua habita notitia, promisi ei scribere Nostro Generali et Vestrae Dominationi, pro pecuniarum acceleratione; qui volui etiam ex inclusa scribere Nostro Generali, et Vestrae Amplitudini».

In aliis litteris Carette eidem Abbati Parcensi directis (3 Ian. 1665), nihil de causa dictae Beatificationis habetur. In nota addita ab Abbate de Pape hoc nobis notum fit: «Transmisi per Rdum Dnum Aubert, Abbatem Belli Loci²⁾, pecunias pro sustinendis expensis pro Beatificatione Martyrum Gorcomiensium; ab eodem accepit usque ad 27 um pistollas hispanicas, persoluto cambio, cui etiam recepissem transmissi. Rdus P. Hullegarde sperat hoc mense habere congregationem super validitate processus, et bene sperat; sicque transmissae pecuniae cito expenduntur».

¹⁾ Nicolaus Aubert, abbas annis 1662-1685.

²⁾ Cfr. n. 1.

Iterum de eadem materia scribit Carette Abbati Parcensi, 17 iulii 1666: «Has exaro lineas, ratione Martyrum Gorcomiensium, quorum Beatificationem Rdus Pater Hullegarde custos, adeo contra omnium spem sua industria ordinaria et dexteritate promovit, ita ut sola supersit Congregatio habenda pro eorumdem beatificatione, quam adhuc sibi faventibus ministris et iudicibus sperat infra sex menses habere. Sed quia praefati Domini Iudices nolunt ultimam illam Congregationem habere, nisi videant pecunias paratas esse pro eorumdem Martyrum celebranda beatificatione; quem in finem praefatus Pater Hullegarde scripsit in Belgium ad suos Patres pro habendis pecuniis necessariis; qui ideo ad D. Praemonstratensem miserunt et scripserunt quatenus dignaretur pro sua parte concurrere, sed et efficere ut alii DD. Abbates concurrerent ad expensas necessarias faciendas, et responderit (ut aiunt) se nullas pro ea re habere, eo quod alias a Procuratore Generali audierit, nullam esse spem videndi umquam dictorum Martyrum Canonizationem et Beatificationem. Quae responsio, inquit P. Hullegarde, multos amovit Abbates ex vestris partibus ne concurrerent; propterea operae pretium duxi commonendam esse Amplitudinem vestram, prout alias feci a tempore praefati P. Hullegarde Causam esse in illo statu quam fuerat ante eius adventum, quando requisitus a Domino Praemonstratensi et a D. Vestra de conditione Causa supradicta, et non alia quae dicuntur. Scripsi, imo crederem in praesentiarum cum D. Praeside Collegii³⁾ non posse absque causa et magno Martyrum detrimento, eorum Beatificationem differri. Cum Domini Iudices plene informati de validitate processus et Causa Martyrum sint plurimum cum Pontifice inclinati ad eorumdem Beatificationem promovendam, pro qua solum desideratur nunc pecunia parata, qua deficiente, si Causa differatur, perditur».

In litteris diei 28 augusti 1666, de eodem negotio scribit Carette Abbati Parcensi: «Quantum ad negotium Martyrum Gorcomiensium, pro maiori informatione adivi Rmum P. Hullegarde, qui me secum duxit ad Promotores istius negotii, a quibus didici negotium esse in optimo statu, cum spe, imo et certitudine ingrediendi proximam Congregationem et totum istud negotium terminandi, modo non deficient pecuniae; eaque ratione quod Promotor Fidei et alii cum Summo Pontifice sint bene intenti et affecti circa praefatam Canonizationem Martyrum faciendam. Pro qua promovenda atque Congregationem

³⁾ Praeses Collegii S. Norberti, in Urbe Rome, annis 1660-septembris 1666 fuit Waltherus Van Hilst, canonicus Tongerloensis. Obiit 2 septembris 1679.

proximam ingredienda iam P. Hullegarde necessarias scripturas fieri ac imprimi curasset, si pecunias habuisset, pro quibus in debita forma conficiendis, accepi duo millia scutorum requiri. Verum sufficere ad inchoandum, si impraesentiarum mille scuta mittantur; alia mille post duos aut tres menses quibus non transmissis praefatus D. Hullegarde reversurus est in patriam, non sane absque istius Causae detrimento et periculo; quod vero spectat expensas pro Canonizatione facienda, ad septem millia scutorum ascendere possunt. Verum non requiruntur nunc in pecunia numerata, sed sufficit ut aliqui hic mercatores qui in casu Beatificationis spondeant pro tali summa praestanda, quibus non ita ante bene stabilitis, minime credendum est Causam Myrtyrum posse ulterius provehi. Propterea, si Amplitudo Vestra sollicite desiderat praefatorum Martyrum Canonizationem, agat cum Patribus Minoritis atque cum ipsis provideat de pecuniis necessariis, alias, si negotium differatur, vix poterit, et non nisi cum maioribus expensis habere finem».

His litteris, abbas De Pape hac notam apposuit: «Canonizationis Martyrum Gorcomiensium desiderium promovi; sed in particulari nihil interest pro aliquo Ordine esse nisi in Capitulo Generali nupero supplicam P. Hullegarde curans exhiberi, nescio quis maioribus viribus irrepserit, et Capitulo persuaserit, nihil de successu Canonizationis illius expectandum esse. Et proinde inuliter fore contribuendum; quia persuasio illa diminui poterit, nisi RR.DD. Abbatibus Circariae nostrae rationes exponam, et si contributiones accipere potero, libenter transmittam».

In litteris diei 29 novembris, iterum de eodem negotio scribit Carette Abbati Parcensi: «Quantum ad negotium Martyrum Gorcomiensium, Rdo P. Hullegarde profecto in Hispaniam, defectu bonae correspondentiae cum suis Patribus Minoritis Belgicis, nescio quid futurum sit de isto negotio; interea erat homo industrius, et capacissimus, si non ei defecissent media, promovendi illud ad optimum finem».

Qua ratione Causa Beatificationis illorum Martyrum ad bonum effectum perducta fuerit, ex litteris Procuratoris Carette nihil amplius deduci potest. Scimus autem Beatificationem illam revera proclamata esse a Summo Pontifice die 14 novembris 1675.

J.B. VALVEKENS, O. Praem.